Legit. nec posuit studiosius altera casses.
Sed quamvis formae numquam michi fama petita est,
Quamvis fortis eram, formosae nomen habebam.
Nec mea me facies nimium laudata iuvabat.
Quaque aliae gaudere solent, ego rustica dote
Corporis erubui. crimenque placere putavi.
Lassa revertebar memini Stymphalide silva.
Aestus erat. magnusque labor geminaverat aestum.
Invenio sine vortice aquas sine murmure euntes
Perspicuas ad humum per quas numerabilis alte
Calculus omnis erat quas tu vix ire putares.
Cana salicta dabant nutritaque populus unda
Sponte sua natas ripis declivibus umbras.
Accessi. primumque pedis vestigia tinxi,
Poplite deinde tenus. nec eo contenta recingor.
Molliaque impono salici velamina curvae.
Nudaque mergor aquis quas dum ferioque trahoque
Mille modis labens excussaque brachia iacto
Nescio quod medio sensi sub gurgite murmur.
Territaque insisto propioris margine fontis.
Quo properas Arethusa suis Alpheus ab undis
Quo properas iterum rauco mihi dixerat ore.
Sicut eram fugio sine vestibus. altera vestes
Ripa meas habuit. tanto magis instat et ardet.
Et quia nuda fui sum visa paratior illi.
Sic ego currebam sic me ferus ille premebat
Ut fugere accipitrem penna trepidante columbae
Ut solet accipiter trepidas urgere columbas.
Usque sub Orchomenon Sophidaque Cylenenque
Maenaliosque sinus gelidumque Erymanthon et Elim
Currere sustinui. nec me velocior ille.
Sed tolerare diu cursus ego viribus impar
Non poteram. longi patiens erat ille laboris.
Per tamen et campos et opertos arbore montes
Saxa quoque et rupes et qua via nulla cucurri.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1670/0113
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG